

tius dari, quæ hominem in universali constitueret. Taceo quod illa Hæcceitas esset potius forma, contrahit enim & distinguit, præterea si, ut volunt pleriq; vetustiorum, *v. Perer. l. 6. c. 6.* quidditas rei secundum Arist. solâ formâ continetur, ut materia sit solùm vehiculum; forma totius & partis apud Arist. sunt idem, *v. Mercen. l. c. c. 5.* Et per *Apologiam* totam, ac *Zab. l. c. c. 8. & 10.*

§. 19. *Existentiam*, Scotus non admittit, quamvis eam formaliter distinguat ab essentia, nam apud eum species præcisâ Hæcceitate existit. Defendit *Scotum* ex recentioribus *Petrus Fonsæca*, quamvis à *Murciâ* pro nostrâ sententiâ citetur, *V. Met. c. 6. q. 5. & Eustachius à S. Paulo l. c.* Vice versâ, quod mireris, sunt qui *Suarium ad Scotum* trahant, quod asserat *Disp. Met. 5. sect. 11. n. 16.* Individuum addere aliquid supra communem naturam ratione distinctum. At ultima verba nubem hanc facilè disjiciunt. Pleriq; enim concedunt quod per operationem mentis detur differentia individualis, an igitur *Fr. Oviedo* & similes propterea Scotistæ erunt? Primum autem Scoti fundamenta ponam & solvam, inde adductis machinis oppugnabo.

§. 20. Primum pro Scoto argumentum ab ipso allatum recensente *Pererio l. 6. c. 10. est*: omnis unitas aliquam Entitatem consequitur, E. & numerica, illa autem Entitas non est id quod in specie includitur. E. aliquid ei superadditum, nempe differentia individualis. R. Unitas Entitatem sequitur in conceptu, in re idem est. Nec Entitas numerica differt à specifica realiter. II. species non per formam vel materiam, vel accidentia &c. contrahitur, E. relinquitur Hæcceitas. R. per nihil contrahitur, quia extra mentem nulla est. III. quæ differunt, per aliqua primo diversa differunt. E. Socrates & Plato per ultimam differentiam, nempe Hæcceitatem. R. quæ differunt, limbo: nisi sint ipsa primò diversa, & seipsis differant, per aliqua &c. sic neg. Min.

§. 21. IV. species per differentiam specificam contrahit genus, E. individuum per differentiam numericam speciem. R. neg. antecedens extra mentem *V. Fonsæca l. c.*: Individua sub aliqua naturâ univocâ sunt. E. quædam primò diversa includunt, R. ut prius. VI. item: per differentiam individuum speciem excedit, E. est talis differentia. R. ut prius. VII. *Bassolius*: natura specifica habet ex se unitatem minorem numerali, & aliam ab eâ realiter. E. R. neg. Antec.

De